



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1625**

Clavdio Aqvaviva Praeposito Generali Societatis Iesv, Patri Optimo Et  
Svavissimo. &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39652**

CLAVDIO AQVA-  
VIVA PRAEPOSITO GENE-  
RALI SOCIETATIS IESV, PATRI OPTIMO

ET SVAVISSIMO. &c.



E vitâ functum credunt quidem mortales, Pater desideratissime, ac mihi tamen haud videris esse mortuus. Quippè tua præclarè facta, quibus, & Societatem vniuersam, & Ecclesiam, in hoc terrarum orbe, longè diffusam illustrasti, non è nostrâ sublatum esse memoria penitèns confirmant. Viuis ergo: imò æternùm viuis. Nam, si æterna diuina-

que benignitas etiam obsequia minima, amplissimis sempiternæ vitæ remunerari solet præmijs; quid porrò te fiet, vbi tantos ingenti animi ardore, solius diuini honoris intuitu, exantlasti labores; quatuor & triginta omninò annos, clauum Societatis tenens, tot præsertim aduersis hostium telis expositæ impugnatæque. Mortalem igitur vitam, quæ innumeris premitur miserijs, *desiderium habens dissolui & esse cum Christo*, haud inuitus deseruisti: vt illa immortalì potirè æternaq; inter cœlestes beatorum mentes, gloria, simul & beata fruerè visione Dei. Sed & hîc absentem licèt, ob innocentiam morum, vitæque iam aetæ sanctitatem, non inhonoratum, non inglorium reliquit diuina pietas. Vbi enim *Spiritum Deo commendasti* tuum, corpus que exanime pheretro impositum, & à tuis tibi parentaretur in sacra Æde filijs; Deus bone, quantus in illa Principe totius Orbis Vrbe, omnis hominum generis concursus? quanta ad honorandum funus frequentia? Et quidem vsque cò, vt nec ad perficienda, liber locus haberetur, diuina officia; nec ipse demùm dies, tempusque sufficeret; sed ad secundam noctis horam, eadem protrahi oporteret. Quisquis secum præclarè tunc actum credebat, si quo modo, vel castum illud, in quo diuinus inhabitârat spiritus contingere corpus, vel tuum duntaxat ve-

*Phil. 1. 23.*

*Luca 23.  
46.*



EPISTOLA DEDICAT.

flimentum, posset. Iam quid de te senserit, Senatus Romanus? quid Principes Ecclesiastici? quid Cardinales? quid Episcopi? quid ipse Pontifex Maximus? Fua nimirum egregia facta, singulares tuas virtutes, tuam etiam atque etiam venerati sanctimoniam. Summus equidem sacrorum Antistes, cum Patres Societatis Assistentes, tanto orbatos parente, solaretur, Te Prælatum optimum, Te Moderatorem Sapientissimum, Te verè SOCIETATIS IESV Patrem appellavit. Quæ cum ita sint, ego minimus quamuis, tuus tamen in Christo filius, qui tua voluntate, MEDITATIONES P. LYDOVICI DE PONTE, ac SPIRITUALEM eiusdem DUCEM, ex Hispanico in Latinum idioma transfuli, tibi que, viventi antea obtuli, nunc porrò eiusdem Auctoris Opus, de Perfectiōne Christiani cuiusque hominis, longè præclarissimum, dum profero in lucem, tibi meritò etiam vitam mortali functo offerre teneor, dicare que. Nam cui melius id possem quam tibi, quem eò loci habitare non dubito, in quo à diuina bonitate impetrare valeas certius, quo hic meus quantuluscunque labor, ad plurimorum cedat vtilitatem? Æternum vive, Pater optime, proque vniuersa Societate IESV, quam tot annorum spatijs felicissimè gubernasti, iuges ad Deum omnipotentem, profundere haud dedignare preces: ut ipse nimirum IESVS, qui & Dux & Pater noster est, usque in finem illam conseruare: illi Generalem Præpositum, alacrem tuarum virtutum imitatore, dignetur prospicere. Ita demum fiet, ut sancto ipsius Spiritu acti ductique, nos omnes, in salutem & perfectiōnem, cum propriam, tum proximorum, coniunctis viribus, impensè incumbamus.

*Tuus in Christo minimus*

*& indignus filius*

*Melchior Treuinnius.*

PRÆPO.